



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Petri Petiti Philosophi & Doctoris Medici, Miscellanearum  
Observationum Libri quatuor**

**Petit, Pierre**

**Trajecti ad Rhenum, 1682**

Cap. XIX. Plinii locus de veterum in auspiciis observandis superstitione  
illustratur. Terentii item locus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13245**

## CAPUT XIX.

*Plinii locus de veterum in auspiciis observandis superstitione illustratur. Terentii item locus.*

**V**erba hujus haec sunt lib. 2. cap. 7. *Divus Augustus levum prodidit sibi calceum præpostere induitum, quo die seditione militari prope afflictus est.* Quid est calceum præpostere induci? est lævum calceum dextro pedi, dextrum sinistro aptari, ostendo alio *Suetonii* loco in ejusdem Augusti vita: ubi de hujus superstitione in ejusmodi observationibus: *Auspicia* (inquit) quædam, & omnia pro certissimis observabat. Si mane sibi calceum perperam, ac sinister pro dextero induceretur, ut diximus. Hoc Plato ἐμπαλιν ὑποδεῖται vocat in *Theateto*, quo loco quemadmodum falsæ opiniones gignantur, explicat, hasque notionum cuius rei in memoria permutatione fieri docet: Λείπεται τόινυν τὰ φευδῆ δοξάσαι &c. Et paulo post eorum, qui præpostere calceantur, exemplo utitur sic: Καὶ μὴ ικανῶς ὁρῶν αὐτῷ, προθυμηθῶ τὸ οἰκεῖον ἐκαλέεται σημεῖον αἴποδες τῇ οἰκείᾳ ὄψει, ἐμβιβάσας προσεργόσας εἰς τὸ έκαλης ἵχνον, ἵνα γένηται αναγνώρισις· εἶτα τότων αἴπολυχῶν, καὶ ὡστεροὶ ἐμπαλιν ὑποδέμενοι, παραλάζας, προσθέτω τὴν ἐκαλέσου ὄψιν πρὸς τὸ ἀλλότριον σημεῖον. Ex quibus verbis intelligi potest, id quoque Græcis observatum fuisse & religiosum, ne calceum lævum dextro pedi aut dextrum lævo præpostere inducerent. Libet *Terentii* & alium illustrare locum ex *Phormione*, quodam more inhibendi atque retrahendi aliquo proponentes:

*Ubi in gynæcum ire occipio, puer ad me accurrit Mida:  
Pone apprehendit pallio, resupinat: respicio: rogo  
Quam-*

MISCELL. OBSERV. CAP. XX. 193

*Quamobrem retineat me: ait esse vetitum intro ad heram accedere.*

Hunc modum apprehendendi pallio, quos avertere ab incepto itinere vellent, fuisse observatum & usitatum ad Græcos, doceo ex Platone, a quo sumpsit Terentius: Hæc sunt Platonis verba, in primo πολιτεϊαν sive de Republica, initio: Καὶ δῶν ὃν πόρρωθεν ἡμᾶς σκιαδε ωρημένες Πολέμαρχος ὁ Κεφάλη, ἐκέλευσε δραμόντα τὸν παιδα τερπιεῖναι κελεῦσσαι. Καὶ μή ὅπισθεν ὁ παῖς λαξέμενος τῷ ιματίᾳ, κελεύει ὄμοις (ἔφη) Πολέμαρχος περιμεῖναι. i. Conspicatus igitur procul nos domum revertentes Polemarchus Cephalis filius, jussit puerum currentem jubere nos suis verbis manere; ac puer, cum pone me pallio apprehendisset; jubet vos (inquit) Polemarchus manere.

C A P U T X X .

*Quædam passim apud Maronem notata.*

**E**N Ecloga quæ inscribitur Alexis:

Tantum inter densas, umbrosa cæcumina,  
fagos

Affidue veniebat: ibi hæc incondita solus  
Montibus & silvis studio jactabat inani.

præ animi ægritudine quosdam inanimata etiam allo-  
qui, cœlum, terras, montes, silvas, notat M. Tullius  
in 3. Tuscul. Quest. ubi de montibus variis, quos dolor in  
hominibus efficit: Sunt autem alii, quos in luctu cum ipsis  
solitudine loqui sœpe delectat, ut illa apud Ennium nutrix:

Cupido cepit miseram nunc me, proloqui

Cælo atque terra Medea miseras.

Plutarchus lib. adolæchias hunc affectum in aman-  
tibus;

N